



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

A venatico cane obedientiam discit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ex collegis eius, dum Mechliniæ studeret, *Opinio sanctitatis.*  
 qui animum deinde appulit ad Religiosos  
 Præmonstratenses, iam tum certam ad eò de  
 Ioannis sanctitate opinionem conceperat, vt  
 etiamnum religiosè asseruet, sacri instar pi-  
 gnoris, Hymnum cuius initium est, *Salve Re-*  
*gina*, Latinis ab eo versibus scriptum. Tam *Obediendi*  
 promptè alacriterque Moderatoris sui ver- *mira prom-*  
 bis obtemperabat, vt (quod quidam de eo *ptitudo.*  
 Pater dixit) videretur Angelus esse Tobia ad  
 quæuis accipienda imperia expeditus. Ali-  
 quando ab hero suo Canonico Louanium  
 Mechliniâ (quod iter est duodecim millia-  
 rium Italicorum) mittebatur à viatico satis  
 instructus. Ille pedibus iter emensus, negotio *Iter lon-*  
 administrato, Mechliniam eodem die reuer- *gum nullo*  
 sus est, confecto celerrimè 24. milliarium *sumptu à*  
 spatio, nullo aut Louanij, aut per viam, cibo *ieiunio con-*  
 potuue gustato, aut teruncio vllò viatici no- *fectum.*  
 mine expenso. E rei cuiuslibet aspectu fru- *Fructum*  
 ctum capere nitebatur. Erat hero suo domi *capit è re*  
 canis nationis Anglicanæ; quem cum in *qualibet.*  
 aquestrem venationem educaret, ostenso pa-  
 nis frusto docebat transnare flumen, tantil-  
 laque mercede fatigare sese, obseruare nu-  
 tum, ac iussis herilibus obedire. Hinc discere *A venati-*  
 se aiebat Ioannes, quâ alacriter obediendum *co cane obe-*  
 Deo sit, æterna nobis præmia pollicenti. Ca- *dientiam*  
 nonicus, exploratâ perspectâq; tantâ Iuuenis *discit.*  
 boni

bonitate, eum filij instar amabat, neque lacrymis temperare poterat, quoties mentio eius incidisset.

*Angelus  
tutelaris  
Ioannis  
alijs quoq;  
praesto est  
eius nomi-  
ne inuoca-  
tus.*

Rem de eo narrat, quâ intelligi possit, Ioannem, ut erat Angelicis moribus, ita suum quoque Angelum habuisse quasi in potestate, promptumque ad obsequendum. Is etenim, etsi ab alijs Ioannis nomine inuocatus, praesentibus periculis eos videtur asseruisse. Ibat cum Ioanne suus herus ad visendam Aspricollensem Virginem, circa Pentecostes festum. In reditu, quod iter Arschothum versus ignorarent, viæ ducem vnum, deinde alterum, vtrumque desertorem, malè expenso stipendio elegere. Ergo errabundi per silvas ibant incerti viarum, quas latrones recentibus insidijs caedibusque habuerant infestas. Simul subita tempestas fulmine tonitruque concitata, aberrantes consternabat. Cum sic horas aliquot vagi per nemus errassent, tandemque in tramitem tam angustum descendissent, ut vix equo singulari transitus pareretur; percussus Canonicus desilit ad pedes, subleuatoque in equum Ioanne, eum subsequitur pedes. Ut autem periculorum anxietas flagrantissimas laborantibus subministrat preces, Canonico in mentem venit, salutem suam tutelari Ioannis Angelo commendare, quod plus apud Deum posse preces illius crederet,